adhuc, quibus relicta est anima, cum moerore et luctu vitam morte gra-
viorem exigunt. Si omnia, quae aut amisi, aut adversa mihi facta inco-
lumia mansissent, tum, si quid ex improviso mali accideret, Vos, Serenissimi
Principes, implorarem, quibus pro magnitudine jus et injurias omnes cu-
rae esse decet. Nunc vero Exul Patriâ, domo, ~~solus~~ [solus], atque omnium ho-
nestarum rerum egens, quos accedam? Aut quos appellem? Scotosne?
An Hibernos? Qui et ipsi vitae meae insidiantur? An eos mihi adi-
re licet, apud quos Majorum nostrorum hostilia monumenta sunt pluri-
ma? An quisquam alibi mei miserebitur? ~~Non puto~~ qui hostis aliquan-
do nobis fuit? Postremo [illegible] Pater meus, dum adhuc in vivis erat, ita me in-
stituit, ne quem colerem nisi Europaeos Principes, ne Societates, ne foede-
ra nova acciperem: Abundè magna mihi praesidia in vestra amicitia fo-
re, quâ si exciderem, unà mihi esse pereundum. Virtute ac DEO volen-
te Magni et opulenti estis, omnia secunda et obedientia sunt Vobis, quo
facilius meas injurias curare licet. Tantum illud vereor, ne quis, priva-
tâ amicitiâ unius vel alterius de hostibus meis parum cognitâ, transver-
sos vos agat, quos Ego audio, summâ ope niti, ambire, fatigare vos sin-
gulos, ne quid de se absentibus incognitâ causâ statuatur, quum justam
causam animadvertendi gravius in Parentem Carolum Stuartum tanquam
hostem Patriae habuerint: Fingere me verba et fugam simulare, cui ta-
men licuerit in Regno manere. Quod utinam illos, quorum impio facino-
re in has miserias projectus sum, eadem haec simulantes videam, et aliquando
apud Vos, aut apud DEUM Immortalem rerum humanarum cura oriatur,
ut illi, qui nunc sceleribus suis feroces atque praeclari sunt, omnibus malis
excruciati parricidii, in Parente nostro commissi, mearumque miseriarum gra-
ves poenas reddant. Iamjam ~~licet~~ Pater animo meo charissime, quanquam
tibi praeter meritum, et unde minime decuit, vita erepta sit, tamen laetan-
dum magis quàm dolendum puto tuum casum. Non enim Regnum, sed tu-
am etiam, exilium, egestatem, et omnes has, quae me premunt, aerumnas
cum vita simul amisisti. At Ego infelix, in tanta mala praecipitatus ex
patrio Regno, rerum humanarum spectaculum praebeo, incertus quid agam?
Tuamne caedem persequar ipse alienae opis egens? An mihi fugâ hac consulam,
Utpote cujus vita, summo discrimini exposita, ex meorum Civium arbitrio
pendet? Utinam possem mori, rebusque meis miseris honestus esset exitus, ne
vivere contemptus viderer, si desertus malis injuriae concessissem. Nunc
neque vivere libet, neque mori licet sine dedecore. Serenissimi Principes,
oro vos per fidem, per Majestatem vestram, subvenite misero mihi Exuli,
ite ~~mihi~~ obviam parricidio, nolite pati Regnum Magnae Britanniae,
quod meum est, per scelus et sanguinem familiae nostrae Regiae tabe-
scere. S.

Erdmann-Friedrich
Berger.
Sorâ-Lus.
S.